

Platoni albo: nec similitudo aliquid intrinsecè addit supra albedinem existentem in Socrate, quod diversum sit ab albedine: sed extrinsecè similitudo super albedinem addit & importat coexistentiam alicujus existentis in Platone, cui est similis, & hoc est albedo. Haftenus Armandus.

§. XI. Cavendum igitur est, ne quis existimet relationem (prout à parte rei est) provenire à termino, ita ut terminus eam demum producat: sed intelligendum est, inquit Suarez D. M. cit. sect. II. n. XXII. relationem quidem dicere formam aliquam realem & intrinsecè denominantem proprium relativum, quod constituit: illam verò non esse rem aliquam aut modum ex natura rei distinctum ab omni forma absolutà, sed esse in re formam aliquam absolutam, non tamen absolutè sumptam; sed ut respicientem aliam, quam denominatio relativa includit seu connotat. Ita ut similitudo v. g. aliqua forma realis sit existens in re qua denominatur similis: illa tamen non sit in re distincta ab albedine, quantum ad id quod ponit in re, qua dicitur similis; sed solum quantum ad terminum quem connotat: & ita similitudo in re non est aliud quam ipsa met albedo, ut respiciens aliam albedinem tanquam ejusdem seu similis rationis.

§. XII. Excipit hinc Antonius Raviò in lib. Categ. cap. VII. de ad aliquid quest. XIV. hæc solutio, inquiens, verba solum continet & nihil aliud: quare nec potest argumento satisfacere: quod sic probo. Ante operationem intellectus, antiquum album sit realiter, formaliter & accidentaliter simile; cum prius non esset simile; licet haberet albedinem: sed talis denominatio non potest provenire, nisi à formà inherente de novo acquisita: cum denominatio sit nova, & acquirat talem denominationem novam sine dependentia ab intellectu: imò licet nunquam ab eo cognoscatur: ergò acquirat novam formam, absque dependentia vel distinctione intellectus; & ideò ex natura rei distinctam à fundamento, quod habebat prius. Argumentum potest esse tale: quicquid citra mentis operationem acquirat novam denominationem, illud etiam acquirat formam inherenter de novo acquisitam. Atqui subjectum alicujus relationis e. g. album (quando fit simile) citra mentis operationem acquirat novam denominationem. E. acquirat etiam formam inherenter